

solum quod Lacedaemonius est, sed etiam propter fabulae rationem ambiguum, dolosum, uxorium, et, ubi in summum discrimen adductus est, impotentem animi. Helenam non possumus malam vocare: in qua nihil aliud quam mulierem prae formae cura cetera negligentem parvique pendentem invenimus; Hermionam vero, ingenui animi puellam, benevolam Oresti atque Electrae, etiam laudare aequum est. Reliquus est Tyndarus, iracundus senex, sed iustus, et nec filiae parcens nec Menelaum probans, Oresti autem merito ut matris interfectori infestus, ut hic quoque laudandus potius quam vituperandus videatur. Chorus denique, ut par est, faventem se praebet Oresti et Electrae, neque in hac fabula, sicut in aliis, multa ab re aliena canit, sed tamen, quae consuetudo est Euripidis, aliquando languide interloquitur, ut v. 529. 592. 1145. In diverbiis autem sicubi qui loquuntur inutilia quaerunt ut v. 390. seqq. hoc quoque de more suo fecit Euripides.

Acta est tragoedia Orestes teste scholiasta ad v. 361. Olymp. XCII. 4. archonte Diocle. Qui egerunt histriones, inter eos qua ratione partes distributae fuerint, non est mihi eadem cum C. Fr. Hermanno sententia in eo libro, quem de personarum inter histriones distributione conscripsit, in quo ille p. 21. Hermionam, Phrygem, Apollinem ab uno histrione actos censuit, p. 28 autem et 54. seq. primas partes Oresti et nuntio, secundas Electrae, tertias Menelao tribuit, ab tertio histrione etiam Helenam, Pyladem, Hermionam, Phrygem, Apollinem actos ratus. Menelaum tamen et Electram uni eidemque histrioni tribui posse, Tyndaro et Apolline ad *τριταγωνιστήν* reiectis, statuit. Ego quidem veri simillimum esse puto ut primario actori datae sint partes difficillimae et quae maxima arte opus haberent; deinde